

COMMENTARIUS.

Non tantum in successione ex testamento locus est iuri accrescendi, verum etiam in successione ab intestato, tum legitima, §. ult. *sup. de Senatus. Orbe.* tum honoraria. Ut docet hic locus, & l. 3. §. ult. cum 2. l. 1. *seqq. hoc tit. l. un. C. quando non pet. par.* vid. Duar. 1. de iure accresc. 20. et 2. c. 18.

Non petitur.] Si plures sint, quibus bonorum possessio competat, quorum unus admittit bonorum possessionem, ceteri non admiserunt; vel quod preverint jus suum, aut tempore bonorum possessionis finitio exclusi sint, aut ante mortui, quam bonorum possessionem petierint, eis, qui admittit, accrescunt portiones, quae ceteris competere, si petissent, d. l. 3. §. ult. et 2. *seqq.* Et accrescunt igitur portiones deficientium sine nova petitione aut agnitione, ut iure civili portiones heredum deficientium sine nova additione accrescunt iis, qui pro sua parte heredes exierunt.

Deinceps ceteris.] Qui vel in eodem ordine inferiori gradu sunt, aut his omnibus deficientibus, qui proximi sunt gradu in ordine sequenti. Nam editio successorio non est locus, si inter personas diversi ordinis aut gradus. Illud notandum, successione ordinum patrem admisisse etiam in una eademque persona, verbi causa, ut filius omnia bonorum possessione unde liberi, petere adhuc possit, unde legitimi aut unde cognati, d. l. 1. §. sed videndum. 11. de succ. edit. l. 2. unde legis.

Sed statim ceteri.] Ut primum quis delatam sibi bonorum possessionem repudiavit, continuo ceteri admittuntur, non expectato tempore petitionis praesinito, d. l. 1. §. quibus. 10. de succ. edit. Ex quo intelligimus, tum eum, qui semel noluit bonorum possessionem petere, jus ejus petenda amisisse, etiam si tempora largiantur; tum, quod hoc praecipue pertinet, repudiantis primis, statim insequentibus tempus currere: quippe ad quos, illis repudiantibus, bonorum possessio statim pertinere incipit, d. l. §. 6.

TEXTUS.

6. In petenda autem bonorum possessione dies utiles singulis considerantur.

COMMENTARIUS.

Qui dies continui, qui utiles, qui sessionum? Et quando de plano praetor jus reddere dicitur?

Dies in iure nostro alii sunt continui, alii utiles. Continui, qui sine interruptione nullisque exceptis currunt; utiles illi dumtaxat, quibus experiendi ius juris potestas est, l. 1. de div. et temp. praeser. l. 11. §. quidam. 3. ad leg.

Jul. d. adult. & proinde hi neque ignorant, neque agere non valenti currunt. In hoc ergo negotio cum dies utiles solum considerantur, neque illud tempus numerabitur, quo quis nec civit bonorum possessionem sibi delatam esse, neque illud, quo a praetore eam possidere non potuit, l. 2. pr. quis ord. in bon. possul. Non enim lemper praetoris copia est, l. sed & si 26. pr. et §. 4. ex quib. ca. maj. Dupliciter vero praetor copiam sui facit; interdum pro tribunali, interdum extra tribunal quovis alio loco ubi salva majestate imperii sui salvoque more majorum jus dicere constituit, l. pen. l. de just. et iur. Quibus diebus pro tribunali sedens postulacionibus & cognitionibus occupatur, ii dies sessionum appellantur, d. l. 2. §. 1. quis ord. in bon. poss. Cum alio loco civibus se praebet, de plano jus reddere dicitur, l. nec quicquam. 9. §. 2. de offic. praesens. l. 6. de accus. Iunctaque haec nolitis ad verba, pro tribunali cognoscere, & de plano, l. 1. §. nobilitas. 8. ad Trept. l. unius. 18. in fin. de quib. Quocumque causae cognitionem decrevit magistratus desiderant, pro tribunali non de plano cognoscenda & expedienda sunt, d. l. 9. §. 2. de offic. praesens. l. omnia 71. l. ubi quaque. 105. de reg. jur. Cum ergo, ut antea ostendimus, quaedam bonorum possessiones sunt, quae decretum magistratus exposcunt, ob quam causam etiam decretales dicitur; quaedam quae decretum causeve cognitionem non requirant, editales appellatae; & consequenter illae tantum pro tribunali peti & dari, haec vero etiam de plano possint: hinc fit, ut his omnes dies, quibus quovis modo praetoris copia fuit, utiles numerentur, in illis sessionum dumtaxat, d. l. 2. §. quis ord. in bon. poss. VINN. Non ergo confundenda locutiones: de plano cognoscere (unde plenaria interpellatio in l. 4. C. de dilat. edit. Haloandri.) & summam cognoscere, Bonorum enim possessio ex edito Carboniano non dabitur de plano, sed pro tribunali, & tamen cognitio erat summaria. l. 3. §. 8. de bon. poss. l. 2. ff. quis ord. in bon. poss. serv. Rem omnem accuratius exposuit Vir Celeberrimus Ger. Noodt de Jurisd. lib. 1. cap. 10. p. 135. HEIN.

TEXTUS.

Quomodo peti debet.

7. Sed bene anteriores Principes & huic causa providerunt, ne quis pro petenda bonorum possessione curet: sed quocumque modo admittentis eam iudicium offenderit, intra statuta tamen tempora, plenum habeat eorum beneficium.

NOTAE.

Quocumque modo etc. iudicium.] Sufficit quocumque iudicium admittende bon. possessio-

nis, huiusmodi iudicium, qualiscumque significatio, aut ut est in d. l. ult. testatio amplectenda hereditatis. Magistratum tamen adire oportet, apud quem de voluntate nostra publice testemur, d. l. ult.

COMMENTARIUS.

Vetus petitio bonorum possessionis solemnis fuit, ut significat, l. 1. C. comm. de succ. Solemnitas certam verborum conceptionem seu formulam habuit, quibus & peteretur, & petenti daretur. Tum etiam hic ritus erat, quod non apud quemvis magistratum peti poterat, nec cujvis magistratus erat dare, sed solum praetoris in urbe & praesidium in provinciis l. 2. §. 1. & seqq. quis ord. in bon. poss. Utrumque hoc sustulit Constantius, exclusivis verborum inanium, ut ipse eas appellat, captionibus, constituit, ut satis sit, eum, cui bonorum possessio delata est, quemvis iudicem, & vel magistratum municipalem adire, atque apud hunc, qualicumque voluntatis testatione interposita bonorum possessionem amplecti l. ult. C. qui adm. ad bon. poss. Ceterum hoc ad extraordinarias bonorum possessiones, quae non nisi causa cognita decernuntur, non pertinet, sed haec etiam nunc praetorem & tribunal desiderant.

Sed quocumque modo admittentis, &c.] Magis-

TITULUS UNDECIMUS.

DE ACQUISITIONE PER ADROGATIONEM.

Continuatio, & origo.

Sequitur nunc species acquisitionis per universionem, quae inter haec genera tertio loco collata est, §. ult. *sup. per quos pers.* nimirum acquisitione per adrogationem; inter superiores autem illas & hanc haec est differentia, quod per illas defuncti, per hanc viventes univerba bona acquirimus. Estque haec acquisitione necessarium consequens juris patris potestatis.

TEXTUS.

Est & alterius generis per universionem successio, quae neque lege duodecim tabularum neque praetoris edito, se eo iure, quod consensu receptum est, introducta est.

COMMENTARIUS.

Cum jus huius acquisitionis dependeat a iure antiquo patris potestatis, quae potestas lege Romuli primum introducta, a decemviris postea repetita est, ut ostendimus, a decemviris postea ex lege potius seu legis sententia hanc acquisitionem descendere; cum moribus, aut consuetudine receptam esse, dicendum videtur, arg. l.

6. §. 1. de verb. sign. et *sup. tit. de leg. patron. int.* cum satis constet, eos qui adrogantur, tam iure legeque filios fieri, quam illi ex parte matris ejus familias nati sint. Dicitur quidem etiam patria potestas moribus recepta, l. 8. de his qui sui vel al. iur. sed dumtaxat certo respectu, ut loco citato demonstratum est. D. Cuiusvis non ad modum acquirendi haec refert, sed ad jus adoptandi seu adrogandi; quod exterum cum esset, populus Rom. receperit, sibi quae adficerit ex legibus theticis Graecorum. Sanè nusquam proditum est, lege aliqua cautum, ut liceret civi Romano filium sibi adoptare. Quin singulae adrogationes stante repub. per populi rogationem fiebant comitis curiatis: quod diligentius exposuit *tit. de adopt.*

TEXTUS.

Quae hoc modo acquiruntur.
Jus vetus.

2. Ecce enim cum patrefamilias sese in adrogationem dat, omnes res ejus corporales & incorporales, quaeque ei debita sunt,
M m m m 3

adrogatori antea quidem pleno jure acquie-
rebantur, exceptis iis, quae per capitis de-
minutionem pereunt, quales sunt operum
obligationes, & jus agnationis. Usus et-
iam & usufructus licet his antea consume-
rabantur; attamen capitis deminutione mi-
nima tolli prohibuit nostra constitutio.

NOTA.

1. *Quales operum.*] Officialium scilicet nam
fabrilium obligatio capitis deminutione non pe-
rimitur; quippe qua ad quocumque cuiusque
recte solvuntur, l. 9. §. 1. de op. lib. Locus diffi-
cilis, quem Theop. explicaturum pollicetur,
non explicat tamen, lapsu, ut credo, memoriae
videlicet Cujac.

Nostri constitutio] l. pen. C. de usuf. vid. sup.
§. pen. d. tit.

COMMENTARIUS.

1. Per adrogationem etiam possessionem acquiri
adrogatori: & quare?

2. Operum obligationes qua hic intelligantur?

Omnis res ejus.] Qui se adrogandum dat, cum
capite fortunam quoque suas, id est, omnia
quae habet, transfert ad patrem adoptivum,
l. pen. §. 2. sec. rub. l. 15. de adop. adeo ut
actiones etiam & nomina transeant sine ulla
cessione, hoc recte. quippe cessio, quae alias ad
actiones transferendas necessaria est, hic non
est: quoniam haec acquisitio universalis est, &
quantum ad commoda attinet, successioni per
omnia similis. Quoniam etiam non proprietatem
tantum, verum & possessio adrogatori acquiritur,
l. 16. de precar. neque absurdum est, licet id
Faber existimet, plus in eo tribui adrogatori
quam heredi, ad quem etiam adita hereditate
jura omnia transeunt, possessio tamen non per-
tinet, nisi eam naturaliter apprehenderit, l.
cum heredes. 23. de acq. poss. Nam adrogatus,
qui ante adrogationem suo nomine possidebat,
adrogatione facta patris nomine possidere incipit,
et quae statim possessorem ministerio suo
facit, arg. l. quod mos. 18. d. tit. Non idem
dicit potest possessore mortuo, ac proinde nec
de herede: quod etiam Glossa intellexit, &
Bart. in d. l. 16. ubi etiam hoc ad simili colligit,
si aliquis monasterium intraverit, ipso in-
gressu sine nova apprehensione monasterium
acquireret reddere omnium possessionem: de quo
amplius DD. in autb. si vera mulier. C. de Sa-
crof. Eccl. Atque olim quidem haec omnia
adrogatori acquirebantur pleno jure: Justinianus
vero eandem moderationem hic servari
voluit, quam adhibuit in acquisitione per li-
beros naturales, §. 2. inf. VI. Et ex eo,
quod & possessio adrogari sine nova appre-
hensione acquiritur, interpretanda videtur, l. 16.
pr. ff. de adop. & emancip. ubi omnia, quae filii
fuerunt, & acquiri possunt, TACITO JURE

ad eum, qui adoptavit, transire dicuntur. HEIN.

Quales sunt operum obligationes.] Operum
scilicet officialium: quod additum oportebat: nam
fabrilium obligatio capitis deminutione non per-
imitur. Quod ut perfectius intelligatur, sciendum
est, operum duas esse species, officiales,
& artificiales. Officiales sunt, quae liber-
tus patrono officii causa praestitit: artificiales;
quae in artificio aliquo consistunt: puta fabri-
candi, pingendi, medicandi. Illae non ab
aliquo, quam ad liberto, nec alii, quam patro-
no, deberi possunt; artificiales ad quocumque
cuiusque recte solvuntur, l. 9. §. 1. de oper.
liber. Hinc est, quod artificiales etiam in ha-
redes transeunt, officiales non item, l. 6. l. 7.
§. pen. eod. quodque officialium obligatio ad-
rogatione extinguitur. Hoc enim fieri necesse est,
quandocumque in persona adrogati durare non
potest, nisi acquiratur adrogatori. At adrogator
patronus non est, cui soli haec operae deberi
possunt, ut dictum est. Planè jus obsequii non
videtur capitis deminutione periri arg. l. 10. §.
3. de in jus voc.

Jus agnationis.] Quae jura agnationis tributa
sunt, capitis deminutione pereunt, & ideo ad
adrogationem transire non possunt, veluti jus
pericipiendarum legitimarum hereditatum, l. 7.
de cap. minor. §. 2. sup. de Senatus. Of. quoque
quam hoc ad eas tantum hereditates pertinet,
quae lege duodecim tabularum, non etiam ad
eas, quae novis legibus aut Senatusconsultis
deseruntur, d. l. 7. & d. §. 2. de quo dictum
alibi. Sed nec jus legitimae hereditatis, quod
patronus ut patronus habet, adrogatione ejus
perimitur, l. si liberus. 23. l. patroni. 39. de
bon. liber.

Usus & usufructus.] Olim usus & usufructus
jura omnia transeunt, possessio tamen non per-
tinet, nisi eam naturaliter apprehenderit, l.
cum heredes. 23. de acq. poss. Nam adrogatus,
qui ante adrogationem suo nomine possidebat,
adrogatione facta patris nomine possidere incipit,
et quae statim possessorem ministerio suo
facit, arg. l. quod mos. 18. d. tit. Non idem
dicit potest possessore mortuo, ac proinde nec
de herede: quod etiam Glossa intellexit, &
Bart. in d. l. 16. ubi etiam hoc ad simili colligit,
si aliquis monasterium intraverit, ipso in-
gressu sine nova apprehensione monasterium
acquireret reddere omnium possessionem: de quo
amplius DD. in autb. si vera mulier. C. de Sa-
crof. Eccl. Atque olim quidem haec omnia
adrogatori acquirebantur pleno jure: Justinianus
vero eandem moderationem hic servari
voluit, quam adhibuit in acquisitione per li-
beros naturales, §. 2. inf. VI. Et ex eo,
quod & possessio adrogari sine nova appre-
hensione acquiritur, interpretanda videtur, l. 16.
pr. ff. de adop. & emancip. ubi omnia, quae filii
fuerunt, & acquiri possunt, TACITO JURE

TEXTUS.

Jus novum.

2. Nunc autem nos eandem acquisitionem,
quae per adrogationem fiebat, coarctavi-
mus ad similitudinem naturalium paren-
tum. Nihil enim aliud, nisi tantummodo
usufructus tam naturalibus parentibus
quam adoptivis per filios familias acquiri-
tur, in iis rebus, quae extrinsecus filiis obve-
niunt dominio eis integro servato. Mortuo
autem filio adrogato in adoptiva familia,
etiam dominium rerum ejus ad adrogatorem
pertransit: nisi supervierit alia persona, quae
ex constitutione nostra patrem in iis, quae
acquiri non possunt, antecedat.

COMMENTARIUS.

AD similitudinem naturalium parentum.] Et
recte. Nam cum naturalibus parentibus
eorum, quae extrinsecus obveniunt, usufructus
tantum acquiri voluerit, proprietate filiis
concessa, l. 6. C. de bon. qua lib. §. 1. sup. per
quas pers. ratio non patitur, ut plus juris tri-
buatur patri adoptivo.

Etiam dominium rerum.] Et si jam primorum
Principium constitutionibus jus acquirendi per
filiosfamil. nonnihil imminutum fuit; tamen
in adventitius aequè ac profectitius bonis diu jus
vetus patri servatum, atque haecenus quoque
in peculio castrensi & quasi castrensi, ut tamen
vivente filio nihil juris in eo pater haberet, li-
ceretque filio in his bonis heredem filii tes-
tamento instituire, tamen eo intestato mor-
tuo, pater tam res castrenses, quam reliquas,
jure peculii occuparet, adeo ut nullorum ad-
huc bonorum heredem filius ab intestato ha-
beret, l. 2. de cast. pec. Tamdem secuta est
major mutatio, & primo quorundam adven-
titorum duntaxat, postremo eorumdem om-
nium usufructum tantum patri acquiri pla-
cuisse tributa filio earum rerum proprietate: da-
tuae et sunt & in castrensis & in peculii
adventitii proprietate heredes ab intestato; pri-
mam liberi ejus, dein fratres, tertio loco pa-
rentes; l. 3. l. 4. d. l. 6. C. de bon. qua lib. l. ult.
C. comm. de success. Igitur quod hic ait Justinianus,
mortuo filio adrogato in adoptiva fami-
lia, etiam dominium bonorum adventitiorum
adrogatori acquiri, non sic accipi oportet,
acquiri ei jure peculii; alioqui nemo ei ante-
poneretur; sed acquiri jure hereditatis ei de-
late post liberos & fratres defuncti. Haec enim
sunt illa perloax, quae hic patrem dicuntur an-
tecedere ex constitutione Justiniani, quae est l.
ult. C. comm. de suc. Fulsus haec explicata sunt
lib. 2. quib. non est perm. fac. test. Nov. 118.
ordo successioinis mutatus.

TEXTUS.

TEXTUS.

Effectus hujus acquisitionis.

3. Sed ex diverso pro eo, quod is debuit
qui se in adoptionem dedit, ipso quidem jure
adrogator non tenetur, sed nomine filii con-
venitur: & si noluerit eum defendere, per-
mittitur creditoribus, per competentes nostros
magistratus bona, quae ejus tum usufructu
sutura fuissent, si se alieno juri non subjecisse,
possidere, & legitimo modo ea disponere.

COMMENTARIUS.

1. *Aditus, quae in adrogatum competebant, ad-*
ventis in adrogationem non dari: neque adro-
gationem de peculio ex ante gesto.

2. An adrogatus adrogationem directe alioquin salvo
maneat?

IN hoc quoque dispar ratio est adrogatoris
& heredis, quod in heredem etiam illae
actiones, quae adversus defunctum compe-
tebant, directo dentur, in adrogatorem non den-
tur quae competebant in adrogatum. Neque enim
ut heres personam defuncti, ita & adrogator
suscepit personam adrogati. Quod obligationes
& actiones adrogatori acquirantur, id ei tri-
bitur jus patri potestatis, cuius juris haec vis
est, ut omnia patri per filium querantur, non
etiam ut filius contrahendo patrem obligare
possit, preterquam de peculio: sed hoc spe-
cialium rationem habet, videlicet quia pater,
concedendo peculium, hoc ipso etiam jus con-
trahendi haecenus ei permittere videtur, per
l. 1. §. 1. de acq. poss. Atque hoc ipsum argu-
mentum est, adrogatorem de peculio conve-
niri non posse ex ea obligatione, quam adro-
gatus, utquam adrogetur, contraxit: quom-
modo accipienda l. in adrogatorem. 42. de pecul.
ut scilicet sententia Sabini & Cassii, qui ex ante
gesto actionem de peculio non dabant, Ulpiano
prohibetur. Hoc ipsum ex eo quoque confirma-
tur, quod ipsius patris, qui actione de peculio
conveniri potest, si filium non defendat, bona
possideri jubentur, c. 7. §. si quis. 15. quib. ex
caus. in poss. est. Ad haec tempora contractus
adrogatus erat adhuc sui juris, ut nec peculium
habere poterit.

Ipsa jura adrogatio non tenetur.] Haec verba ip-
so jure Cujac. & Pacius sic interpretantur, ipso
jure pretorio; ego mera & stricta ratione juris,
rationibus, ut in §. aditus. ro. inf. de aut. Hoc
enim significat, neminem personali actione ten-
neri, nisi qui contraxit, aut heredem ejus: ad-
rogatorem autem non contractisse, neque per-
sonam suscepisse, adrogati heredis instar.

Sed nomine filii.] Ex quo & bono: neque enim
in fraudem & praedivium creditorum ad-
rogationes fieri permittebatur erat. Et est
aequilibrium, ut parens adrogator, qui bona
omnia tenet, filium defendat, aut si noluit de-
fendere, patiatur creditorum mitti in bona,
quae filii ante adrogationem pleno jure fuerunt.
Illud quaesitum est, an actiones ipso jure ad-
rogatione pereant, atque ex edicto de capite
minuisc restituantur, an salva maneat, direc-
taeque adhuc in adrogatum, in adrogatorem
utiles dentur? Prius Bachovio placet haec ra-
tione, quoniam omnia bona adrogati ipso jure
acquiruntur adrogatori, saltem ex ratione juris
veteris: vel potius quia capitis deminutione
etiam minima, quam adrogato contingere con-
stat, sublatitate juris actiones pereunt, l. 2. de
cap. min. Prior ratio nullius momenti est, nam
cum in persona filii iam, etiam si bona non ha-
beat, & patri omnia acquirat, obligatio con-
sistere possit, l. 39. de obl. & act. satis liquet,
ob hoc solum obligationem in persona adrogati

non tolli, quod bona habere definit. Ac ne istud quidem video, qua ratione dici possit, actiones perire capitis deminutione adrogati: neque enim sola familiae mutatio actionem perire potest, nisi quid aliud interveniat, ut in emancipatione per quam filius deducebatur in imaginariam servilem causam, l. 3. §. 1. de cap. min. In adrogatione vero nulla venditione aut manumissionis intercedebant. Probabilis itaque mihi videtur, in questione proposita actiones non ipso iure sublatas atque edicto restitutas fuisse; sed mansisse salvas &

utiles, ex ante gesto in adrogatorem datas hoc effectu, ut aut creditoribus responderet, & hoc eo non faciente pareretur eos mitti in bona, quae filius habuit, & transiit, similiter ut in specie l. 7. §. pen. d. tit. neque aliud hic locus significat.

Cum usufructu fuissent.] Hoc ideo ait, quia nunc solus usufructus parenti adrogatori queritur, proprietate penes adrogatum manente, §. praec. Ait, legitimo modo disponere: de quo ad tit. 1. 1. quib. ex caus. in poss. ear. ex de reb. aut. jud. poss. item de curat. bon. dand.

TITULUS DUODECIMUS. DE EO, CUI LIBERTATIS CAUSA BONA ADDICUNTUR.

Continuatio, & summa.

TEXTUS.

Accessit novus casus successione ex constitutione divi Marci. Nam filii, qui libertatem acceperunt à domino in testamento, ex quo non aditur hereditas, velint bona sibi addici libertatum conservandarum causa, audiuntur.

COMMENTARIUS.

Quartus acquirendi per universitatem modus & postremus inter eos, qui propositi sunt §. ult. sup. per quas pers. est libertatum conservandarum causa bonorum additio. Hæc acquisitio neque lege antiqua introducta aut confirmata est, ut hereditas; neque jure pretorio, ut bonorum possessio; neque consensu populi, ut adrogatione; sed ex constitutione D. Marci descendit, cui constitutionis causam dedit favor libertatis, l. 2. de fideic. lib. l. 6. §. 1. ult. C. de testam. man. Esti autem ista, cui bona libertatis causa addita sunt, neque hæres est, neque bonorum possessor; tamen quia in locum defuncti succedit, bonorum possessori assimilatur: l. 4. §. prope. de fide. lib. atque in eum tanquam in heredem proprium utiles actiones creditoribus dantur, l. 3. d. tit. Verba constitutionis D. Marci primum Justinianus refert, deinde exponit.

Qui libertatem acceperunt.] Ueberius sub disjunctione dixisset, vel quilibet extraneus; qua disjunctione utitur l. ult. in pp. C. de testam. man. Et loquitur, quasi constituto D. Marci eodem modo disjunctionem locuta sit: quemadmodum etiam Jurisconsultus l. quod D. Marci. §. 1. de man. testam.

Ex quo non aditur hereditas.] Fieri enim sepe potest, ut hæres meus aeri alieni hereditarii magnitudinem, hereditatem adire reculet, atque

ita deserto testamento nihil ex eo, ac ne libertas quidem habeatur, l. 2. C. de test. man. l. 1. C. de fideic. libert.

TEXTUS.

Rescriptum D. Marci.

1. *Et ita divi Marci rescripto ad Pom-pilium Rufum continetur. Verba rescripti ita se habent. Si Verginio Valenti, qui testamento suo libertatem quibusdam adscriptis, nemine successore ab intestato existente, in ea causa bona ejus esse ceperunt, ut venire debeant, is, cujus de ea re notio est, aditus rationem desiderii tui habebit, ut libertatum tam earum quæ directæ, quam earum quæ per speciem fideicommissi relictae sunt, tuendarum gratia addicantur tibi, si idonei creditoribus caveris de solido, quod cuique debetur, solvendo. Et ii quidem, quibus directæ libertates datae est, perinde liberi erunt, ac si hereditas adita esset: ii autem, quos hæres manumittere rogatus est, à te libertatem consequentur; ita ut si non alia conditione velis tibi bona addici, quam ut ii etiam, qui directo libertatem acceperunt, tui liberi fiant. Nam huic etiam voluntati tuæ, si ii, quorum de statu agitur, consentiant, auctoritatem nostram accommodamus. Et ne hujus rescriptionis nostræ emolumentum alia ratione irritum fiat, & fideus bona agnoscere voluerit, & ii, qui bonis nostris*

DE EO, CUI LIBERTATIS CAUSA BONA, &c.

tris attendunt, sciant, quomodo pecuniario preferendam esse libertatis causam & ita bona cogenda, ut libertas eis salva sit, qui eam adipisci poterunt, ac si hereditas ex testamento adita esset.

NOTE.

1. *Pom-pilium Rufum*] Putat Eguin. Baro servum ad quem rescriptum D. Marcus, prænomine fornicum esse manumissoris, & ad id tempus Justinianum respexisse.

Nemine successore ab intestato] Alias si destituito testamento, is qui ab intestato venit, hereditatem amplectatur, libertates non debentur, l. 1. C. de fideic. lib.

Tui liberi fiant] A te libertatem accipiant, tanquam fideicommissarium, Wel.

Si fideus bona agnoscere] Fisco quoque causa libertatis prælata, ut nec ille aliter ad bona vacantia admittatur, quam si & ipse libertates præstet, d. l. 4. §. 17. de fideicommiss. lib.

COMMENTARIUS.

Pom-pilium Rufum] Hæc nomina non conveniunt servo, non magis, quam *Gajus Sejus* l. 23. de manum. Et ideo assentiri non possum Theophilo assentiri, hunc Pom-pilium Rufum fuisse unum ex servis Virginii Valentis testamento manumissis. Urat est, etiam extrario libero homini ipsa constitutio D. Marci permissi bonorum additionem, ostendunt d. l. 4. §. 1. de man. test. l. ult. C. eod. quamvis potius ad extrarios productam colligas ex l. 6. C. eod. VINN. Et exinde quoque colligas, rectè existimari Pom-pilium, Pom-pilium istum Rufum servum potius, aut statu liberum quam ingenuum vel liberum fuisse. Statu sanè liberis ob spem libertatis non raro se pro liberis gessisse & nomina patronorum gentilia ante manumissionem adimplisse, colligere mihi videor ex l. 11. C. de fideic. lib. HEIN.

Testamento libertatem adscriptis] Hoc rescriptum locum non habet, nisi libertates datae sint. Ait adscriptis. Quid si libertates dedit, hæredes testamento non serpto, sed nuncupato? placet, etiam hic constitutioni esse locum, d. l. ult. C. de testam. man.

Nemine successore ab intestato] Explicatius dixisset, nec ex testamento, nec ab intestato: siquidem huic rescripto locus non datur, nisi cum nec ex testamento, nec ab intestato quilibet heres est, d. l. ult. Nemo tamen ex hoc loco colligit, si ab intestato hæres exiit, libertates præstandas esse: certum enim est, destituito testamento, si is qui ab intestato venit, hereditatem amplectitur, nec libertates debentur, l. 1. C. de fide. lib. l. 14. C. de fideic. Ut enim magnus fit libertatis favor, tamen tantum huic favori tribui non debuit, ut jus alteri quaeritum, legitimis nimirum hæredibus, auferatur.

Vinnius in diffinit.

Si fideus bona agnoscere] Bona eorum, qui hæredem non habent, vacantia dicuntur, ea à fisco jure regalium occupari, notissimi juris est. Verum in hoc argumento libertatis causa commodo fisci benignè prælata est, ut etiam si non sit, qui bona sibi addici poterit conservandam libertatem gratia, tamen fideus non aliter admittatur, quam si & ipse libertates præstet, d. l. 4. §. eodem. 17. de fide. libere. Enim verò si bona damnati vel debitoris sui fideus occupet, cessat hæc constitutio. Sic cum Accur.

N n n n

VINN. Aliud obtinebat, si e.g. fideicommissaria libertas ita data, si uxori testatoris placuisset. Tunc enim ea non adeunt hereditatem, & filio succedente, servus libertatem petere poterat. dum uxor testatoris non refragaretur, l. 8. C. de fideic. libere. HEIN.

Venire debeant] Si cui mortuo nemo hæres extet, qui creditoribus satisfaciat, bona ejus in ea causa sunt, ut possideri à creditoribus, aut recta constituta actione vendi possint, l. 8. quib. ex ea. in poss. l. 6. C. de bon. aut. jud. poss. Ex quo intelligimus, hæc constitutione etiam famæ defuncti consultum.

Addicantur] Addici igitur bona dicuntur, cum ab eo, qui jurisdictioni præest, causa cognita petenti attribuuntur; qui proinde tanquam decretalis bonorum possessor constituitur.

Si idonei caveris] Addici ita demum bona voluit, si idonei creditoribus cautum fuerit de solido, quod cuique debetur, solvendo, l. 2. l. 4. addic. 8. de fideic. lib. merito; ita enim faciendum libertatis est, ut ne alteri inferatur injuria. Quid est autem idonei caveri? Satisfacito utique, vel pignoris datus. Sed tamen & si fides habita fuerit promittenti sine satisfactione, placet, idonei cautum videri, d. l. 4. §. addic. 8. De solido autem, id est, de sorte & usuris, d. l. 4. §. de solido. 11. Justinianus etiam pacationem de parte solvenda creditoribus admittendam censuit, d. l. ult. §. 1. C. de testam. man.

Quibus directæ libertates datae] Qui directam libertatem acceperunt, statim post additionem bonorum liberi sunt; qui fideicommissariam, manumittendi sunt ab eo, cui bona addita sunt. Itaque illi Orcini, hi liberi manumissiores efficiuntur. Planè qui bona sibi addici desiderant, ut mox sequitur, non alia conditione velis tibi addici, quam ut etiam hi, qui directam libertatem acceperunt, ipsius liberi fiant, sent. si modo contentantur contenti fideicommissaria libertate. Neque tamen diffensu quorundam impedire bonorum additionem, sed quem patronum habere recusat, dominum habere coguntur, d. l. ult. C. de test. man.

Ad si hereditas adita] Aut bonorum possessio admissa deereat. Non igitur ex pacatione, sed ex additione, quæ vicem additionis hereditatis, aut agnationis adjudicationis bonorum possessionis obtinet. Illud notandum, loqui rescriptum de casu testamenti facti: nam ab intestato nemini libertas directo competere potest.

Si fideus bona agnoscere] Bona eorum, qui hæredem non habent, vacantia dicuntur, ea à fisco jure regalium occupari, notissimi juris est. Verum in hoc argumento libertatis causa commodo fisci benignè prælata est, ut etiam si non sit, qui bona sibi addici poterit conservandam libertatem gratia, tamen fideus non aliter admittatur, quam si & ipse libertates præstet, d. l. 4. §. eodem. 17. de fide. libere. Enim verò si bona damnati vel debitoris sui fideus occupet, cessat hæc constitutio. Sic cum Accur.

accipio illud, si alia ratione agnoscat. in d. §. eodem. 17.

TEXTUS.

Utilitas rescripti.

2. Hoc rescripto subvenum est & libertatibus & defunctis, ne bona eorum a creditoribus possideantur, & veniant. Certè si fuerint hac de causa bona addita, cessat bonorum venditio: exiit enim defuncti defensor, & quidem idoneus, qui de solido creditoribus cavet.

COMMENTARIUS.

Indicatur hoc §. primum finis acque utilitas huius rescripti: deinde ostenditur, non esse conjunctum cum injuria creditorum. Finis rescripti duplex est, ut libertates datæ conserventur, qui principalis est; tum ut fama defuncti consulatur, cui ignominiosum, bona sua a creditoribus possideri & distrahi: qua de re M. Tullius pro Quinto cap. 15. & Justinian. §. 1. sup. quib. ex ca. man. & §. 1. de her. qual. Creditoribus injuria non afficiuntur: nam per annorum ex hac causa additionem fit quidem, ut ipsi in bona defuncti ire & sibi conulere non possint; ceteram exiit idoneus defensor, qui de solido, quod cuique debetur, solvendo cavet, ut justam querimoniam causam nullam habeat. Ita enim in universum suo est, ut quoties alicujus defensor idoneus exiit, creditores in bona ejus non mitantur, l. 2. & pass. quib. ex ca. in poss. l. sed & he. 35. §. 3. l. pen. de procur. Legatariis ex hac causa nec cavendum est, quippe qui desinunt testamentum nihil consequerentur.

TEXTUS.

3. In primis hoc rescriptum toties locum habet, quoties testamento libertates datæ sunt. Quid ergo si quis intestatus decedens codicillis libertates dederit, neque adita sit ab intestato hereditas? Favor constitutionis debet locum habere. Certè si testatus decesserit, & codicillis dederit libertatem, competere eam nemini dubium est.

4. Tunc enim constitutioni locum esse, verba ostendunt, cum nemo successerit ab intestato existat. Ergo quamdiu incertum erit, urum existat, an non, cessabit consultatio. Si verò certum esse caperit, neminem existeret; tunc erit constitutioni locus.

5. Si is, qui in integrum restitui potest, abstinerit hereditate, quamvis potest in integrum restitui; potest admitti constitutio,

& bonorum additio fieri. Quid ergo, si post additionem libertatum conservandam causa factam in integrum sit restituit? Utrique non erit dicendum revocari libertates: quia semel petierunt.

NOTE.

4. Quamdiu incertum] Ex Ulp. l. 4. pr. de fideic. libere.

5. Qui in integrum restitui potest] Hic locus descriptus est ex d. l. 3. §. 1. & 2.

COMMENTARIUS.

Constitutio D. Marci nominatim loquitur de libertatibus testamento datis. Ceterum & si quis intestato decedens codicillis libertates dederit, neque adita sit ab intestato hereditas; placuit, ad hunc quoque casum favorem constitutionis extendi, juxta id quod dicitur, favores esse ampliandos, l. 2. de fideic. lib. l. ult. c. de rest. man. Quartus & quintus §§. desumpti ex l. 4. pr. §. 1. & 2. de tit.

TEXTUS.

Si libertates datæ non sunt.

6. Hæc constitutio libertatum tuendam causa introducta est. Ergo si libertates nullæ sunt datæ, cessat constitutio. Quid ergo, si vivus dederit libertates vel mortis causa, & ne de hoc quaeratur, utrum in fraudem creditorum, an non, factum sit, idcirco velint sibi bona addici, an audiendi sunt? Et magis est, ut audiri debeant, esse deficient verba constitutionis.

COMMENTARIUS.

Favor rescripti à Justiniano etiam ad eum casum trahitur, quo mortis causa libertates datæ sunt, vel etiam simpliciter inter vivos, ut statim valeant, si creditores postea obstant, quod in fraudem suam datas dicunt. Quamvis enim verba constitutionis hic deficient, ex equitate tamen & sententia ejus hoc etiam admitti debere, & audiri eum, qui libertatem accepit, si bona sibi addici velit, parato creditoribus idoneæ cavere. Et igitur in proposito qua libertates ipso jure non valerent, conservantur beneficio additionis bonorum.

TEXTUS.

De speciebus additis à Justiniano.

7. Sed cum multas divisiones ejusmodi constitutionis deesse prospeximus, lata est à nobis plenissima constitutio, in qua multæ species collatas sunt, quibus jus hujusmodi

successionis plenissimum est effectum, quas ex ipsius sectione constitutionis potest quis cognoscere.

COMMENTARIUS.

Constitutio Justiniani, que est l. ult. c. de rest. man. jus additionis bonorum à D. Marco introductum multis modis amplificatum est. Amplificationem Hotomannus quomodo his verbis concluditur. Jus postulandi annum esto. 2. Si plures simul satisfactio postu-

lent, is bona simul addantur. 3. Eius, qui plus se præsitarum satisfabit, potissimum jus esto. 4. Qui plus quam alter sui addita bona sunt, intra annum offeret, altero libertatem suam retinente, bona obtineat. Hujus & superioris tituli hodie nullus usus est. VINN. Immo jam Justiniani temporibus sensim ab usu recessisse videtur Marci constitutio ob pinguis remedium Nov. 1. cap. 1. concessum, ut hæredes repudiante, ipsi legatarii, quin & servi, quibus libertas testamento data est, adire possunt. HEIN.

TITULUS DECIMUS TERTIUS.

DE SUCCESSIONIBUS SUBLATIS, QUÆ FIEBANT PER BONORUM VENDITIONES, ET EX SENATUSCONSULTO CLAUDIANO.

C. Lib. 7. Tit. 24.

TEXTUS.

Erant ante prædictam successionem olim & alia per universitatem successiones: quas fuerat bonorum emptio, quæ de bonis debitoris vendendis per multas ambages fuerat introducta: & tunc locum habebat, quando judicia ordinaria in usu fuerant: sed cum extraordinariis judiciis posteritas usa est, ideo cum ipsis ordinariis judiciis etiam bonorum venditiones exspiraverunt: & tantummodo creditoribus datur officio judicis bona possidere: & prout utile eis visum est, ea disponere: quod ex latioribus Digestorum libris perfectius apparuit. Erat & ex Senatusconsulto Claudiano miserabilis per universitatem acquisitio; cum libera mulier servili amore bacchata ipsam libertatem per Senatusconsultum amittebat, & cum libertate substantiam. Quod indignum nostris temporibus esse existimantes, & à nostra civitate deleri, & non inseri nostris Digestis concessimus.

NOTE.

Per multas ambages] Bona debitoris, postquam aliquandiu celeberrimis in locis proscripta pependissent, edito possideri jubebantur: dein magister postulabat & creabatur, per quem distrahebantur, & emptori ad-

dicebantur: qui omnibus in solidum satisfacere; aut antequam emeret, cum creditoribus de certa parte decidebat. Cic. pro Quint. cap. 15. & 6. ad Attic. 1. Atque hæc bonorum distractio etiam decemvirali verbo facta dicebatur, Fufius hæc Theoph. Signon. Plura & accuratiora reperies apud Car. Signon. de antiq. jur. civ. Rom. lib. 1. cap. XLI. & de judic. Rom. lib. 1. cap. 18. Adde his Antiq. nostr. Rom. lib. 2. tit. 17. §. 11. p. 455. edit. nov. HEIN. Quando judicia ordinaria] Planius distinet, quando veterum judiciorum ordo servabatur, quem posteritas neglexit: quamquam quid hæc judiciorum diversitas ad rem præsentem faciat, non video; ac nec aliud quidem, quid circa eam postea innovatum, nisi quod bonorum emptor desierit esse successer universi juris, & bona ita vendi coepit, ut ex pretio eorum creditoribus satisfaceret, l. 6. & 9. c. de bon. auct. jud. poss. VINN. Sentus Justiniani esse videtur quod ambagibus locus fuerit, quando iudicia essent ordinaria, & distinctum pretoris & judicis officium. Ex quo autem Magistratus iudices pedaneos dare delinquit, & omnia iudicia facta sint extraordinaria, nec ritibus & formalis antiquis tam strictè in hæsisse homines. HEIN.

Libertatem amittebat] Post trinam denunciationem domini. Theoph. denunciationis meminit & Ulp. tit. 11. §. 10. Paul. l. 27. def. Tacitus autem denunciationis non meminit, sed simpliciter ignorantis domini. Et forte distinctio Jctorum hæc necessitas addita Scto. Hodie libertatem non amittit, sed verberibus castigatur servus, & dissolvitur ejusmodi conjunctio, l. un. c. de SC. Claud. toll.

COMMENTARIUS.

Refertur hoc tit. duæ species acquisitionis per universitatem, quarum altera jam ante Justinianum in usu esse desitit, alteram ipse sustulit.

Qualis fuerat bonorum emptio] Si quis in jus vocatus potestatem sui non faciebat, neque defendebatur, ejus bona ex edicto possideri jubebantur: post deinde iis vendendis magistris continebantur, & postquam aliquando celeberrimis in locis prescripta peremptio, emptori ius creditoribus, aut cui extraneo addicebantur, qui bonorum emptor dicebatur, & omnibus in solidum satisfaciebat. Quod si diffidebat, ne paria facere posset, tum, antequam emeret, cum creditoribus de certa parte decidebat. Huc pertinet locus Cic. 6. ad Attic. ubi scribit, sine edicto non posse transigi de bonis possidentis, magistris faciendis, vendendis: hac enim ex edicto & postulari & fieri solere: item illud ex oratione pro Quinto cap. 15. Cujus bona ex edicto possidentur, hujus omnia fama & existimatio cum bonis simul possidentur, de quo libelli in celeberrimis locis proponuntur: hinc ne perire quidem eorū, tacite obsequere conceditur, qui magistris sunt, & domini constituuntur, qui, qua lege & qua conditione precat, pronuntiant, &c. Idem observatum fuisse, cum bona defuncti solvendo non essent, nec heredem reperirent, ostendit hic textus. Neque hac ratio vendendi bona Pandectarum jure incogita est, l. cum bona. 16. l. Eustidius. 29. de reb. aut. jud. poss. l. Imperator. 16. de pact. l. 9. de cur. fur. l. 4. C. de bon. aut. jud. poss. Illud etiam olim non erat infrequens, ut bona alicujus damnati prescriptique sectoribus in auctione venderentur, qui ut tradit Afcion. ad lib. 1. in verr. Ipe[m] lucri sui secuti bona condemnatorum semel auctionabantur, & semel pecuniam xerario inferebant: ac postea pro compendio suo singulas quasque res populo venditabant. Quo refert Hotomannus, quod Varro lib. 2. de re rust. cap. 10. mosos acquirendi legitimi domini enumerans scribit: *Tametsi cum in bonis sectione vites publicè vendi.* Hæc bonorum dilactio etiam decemvirali verbo lecto dicebatur; videturque successisse ignominiosa ista bonorum prescriptio in locum sectionis debitorum in partes lege 12. tabb. introductæ, quam crudelitatem contentu publico postea erasam esse, & in pudoris notam poenam capitis conversionem bonorum adhibita prescriptioe, testatur Tertull. Apol. cap. 3. *Suf fundere*, inquit, *maluit hominis sanguinem, quam esse dædere.* Add. Gell. lib. 20. cap. 1. Salm. de mol. ufur. cap. 18. VINN Sed adde tu fis Illust. Bynkersk. Obser. lib. 1. cap. 1. Ubi ab omni crudelitatis suspitione decemviro eruditè abolvit. HEIN.

Per multas ambages] Ter. creditores adire præ-

torem oportebat; primùm ut liceret bona possidere: deinde ut liceret magistrum bonis constituere, qui in auctione divideret: postremo ut legem dare bonorum venditioni, & cum emptore cui addicerentur, de parte ejus, quod cuique deberetur, pacificè. Cæterum hæc fultus Theophilus.

Cum extraordinariis judiciis] Quid hæc iudiciorum diversitas ad rem præsentem faciat, non video: uti nec illud, quid hic posterioribus temporibus innovatum. Sanè nihil in eo, quod creditores in possessionem bonorum mittuntur, & postquam ea per certum tempus possederint, jus vendendi à prætorè impetrare possunt. Hæc ordinaria ratio procedendi etiam temporibus Ciceronis fuit, eademque in Pandectis, quo hic remittitur, sub tit. de reb. aut. jud. poss. & in codice quoque relata est, l. 6. & 9. C. cod. tit. Videtur mihi Compositores malè ista inter se opposuisse, tanquam pugnantiæ, *permitti bona possideri*, & post certum tempus *uni ea universa vendi*. Planè quod Theoph. refert, bonorum emptorem hæredis, seu bonorum possessoris loco habitum fuisse, id postea obtinuisse non puto; sed ita bona vendita, ut ex pretio creditoribus satisfieret, desinitque hæc acquisitionem esse universalem. Jure nullissimo mosus missioni creditor constituitur, ut jam missio non fiat in universa bona, sicut olim, tit. de reb. aut. jud. poss. sed quantum pro quantitate debiti, Nov. 53. cap. 4. §. 1. unde *aut. & qui jurat. C. de bon. aut. poss.*

Libera mulier servili amore bacchata] Senatufconsulto libera mulier, que fe alieno servo junxerat, domino servi cum bonis omnibus ad dicebatur. Meminit hujus Senatufconsulti Tacitus lib. 12. *annal. cap. 13.* ubi de rebus gestis sub Claudio tractans sic scribit: *Inter qua referitur ad patris de pena feminariam, qua servis, conjugerentur: statuiturque, ut ignaro domino ad prolapsa, in servitute; si cosensisset, pro liberta haberetur.* Ita locum ex Codice Farnesiano restituit Lipsius. Suetonius hoc ipsum decretum ad scribit Vespasiano, ut nisi erret Suetonius, id repetitum fuisse necesse fit. Denunciatio Tacitus non meminit, sed simpliciter ignorantis domini: unde licet existimare, necessitatem denuntiandi, ne cum servo consuetudinem haberet (vid. Ulp. rit. 11. §. maxima. 10 l. 27. de poss. l. un. C. de sen. Claud. toll. l. edictum C. Theod. de marit. Theoph. hic Pet. Fab. lib. 1. semel. 25.) disputatione Jurisconsultorum Senatufconsulto additam. Justinianus autem hoc Senatufconsultum sustulit, permittitque dominum potestatem, si quid tale servus commiserit, cum castigandi, atque avellendi à muliere, simul denuntiandi, non impunè laturum dominum, si hac potestate non utatur, d. l. ut. in fin. C. de Sen. Claud. toll.

TITULUS DECIMUS QUARTUS.
DE OBLIGATIONIBUS.

Dig. Lib. 44. Tit. 7. C. Lib. 4. Tit. 10.

- 1 Ratio ordinis.
- 2 Duo insignes errores notati.
- 3 Noque definitionis neque divisionis hic prepositæ continere omnem speciem obligationis.
- 4 Obligationum summa divisio.
- 5 Quid sit & quam vim habeat obligatio naturalis.
- 6 Explicatur l. 10. de obl. & ad.
- 7 Que res faciant, ut tantum naturalis, non etiam civilis sit obligatio?
- 8 Non omnium naturalium obligationum eundem esse effectum jure civili, & qua qualem habeant?
- 9 Obligatio merè civilis.
- 10 Obligatio mixta.

Tria esse discipline juris summa capita seu objecta dicimus §. ult. sup. de jur. nar. gent. & civ. personas, res, actiones. De jure personarum, id est, eo jure, quod cuique competit pro conditione & statu personæ, disputatum à titulo tertio usque ad finem libri primi. Rerum tractatio suscepta. tit. 1. lib. 2. ubi diximus, rei appellatione in hac distinctione objectuorum significari non tantum ea, quæ domini nostri sunt, cæteraque jura in rem, quæ vindicari possunt, verum etiam jus ad rem, quod uno verbo dicimus obligationem; nec male eos facere, qui totius hujus argumenti tractationem ad duo capita revocant, dominium & obligationem, domini verò omnia in rem jura complectentes. De dominio ejusque acquirendi modis adhuc hæcenus. De obligationibus earumque contrahendarum & distrahendarum ratione nunc sequitur. Quo tractatio continuatur usque ad tit. sextum libri 4. ubi initium fit disputationis de actionibus.

Duo igitur errores hic nobis vitandi sunt. 2. Quorum unus eorum est, qui ita obligationes à rebus separant, tanquam ad tertium juris objectum, id est, actiones pertinerent: alter eorum, qui eas referunt ad objectum primum, quod est de jure personarum. In priore errore Theophilus est & vulgo interpp. qui existimant, hic initium fieri doctrine de actionibus; præmittitque obligationes, ut actionum causas earumque matres, ut loquuntur. Hoc autem falsum esse, vel ex uno hoc apparet, quod ista consideratione non magis obligatio ad actiones pertinet, quam dominium, quàm cæterum in rem jura, quàm ipsum jus personæ: quippe que & ipsa singula suas actiones habent, & pariunt, §. 1. & 2. §. 13. inf. de act. Alter error Vultejj est, qui lib. 1. disc. schol. cap. 16. & ad hæc rubr. contendit, obligationes referendas esse ad jus personarum. Quem

temerè secutus est D. Anton. Matth. Colleg. 1057. 2. disc. 3. Uitur Vultejj duplici fere argumento. Primum est, quod obligatio personæ inheret. Atqui eadem ratione multo magis utilis & utumfructum ad jus personam referri oportebat. Sed quid certius est, quàm ea omnia, quæ in bonis & patrimonio nostro sunt, ad tractum rerum pertinere; nec solum res corporales, verum etiam incorporeales, *sup. tit. de reb. corp. & incorp.* quo loco iter res incorporeales, cum hereditate, usufructu, servitute, numeratur etiam obligatio, ut res in bonis nostris & subjecta acquisitioni, add. l. 49. de verb. sign. Apparet verò Vultejj obligationes tantum considerasse in relatione ad personam debitorem, cum præcipue hic considerandæ sint ratione creditoris; qui eas contrahendo sibi acquirit: easque suo modo vendendo, donando, legando in alium transferre potest: quæ ostendunt, obligationes à parte creditoris esse in commercio, quod de jure personarum puta liberatis, civitatibus, familiæ nemo dixerit. Sed et si obligationes considerentur ex parte debitoris, ut personæ ejus inherentes, tamen ad jus personarum ne isto quidem respectu referri possunt. Jus enim personæ dicitur, quod personam afficit, quatenus persona est, id est, id jus, quo quisque in civitate censetur propter statum & qualitatem personæ suæ. Quid autem obligatio commune habeat cum statu debitoris? Quis ita personas tanquam distinctas, ut dixerit, quasdam personas esse obligatas, quasdam obligatas? aut hominum alios esse creditores, alios debitorum? Nimirum obligatio est personam obligati afficit, non tamen afficit, quatenus obligatio est persona, sed quatenus est debitor. At debitor dicitur initio rei, que debetur. Neque enim hic finis summus est obligationis, ut personam nobis obligatam habeamus, sed ut rem in obligationem deductam consequamur, l. 3. de obl. & ad. l. stipulatio. 38. §. ult. 17. de verb. oblig. Quamobrem sine essentiam obligationum speciemus, sive objectum earum, sive finem ultimum, non alio referri possunt aut debent, quàm ad eam disciplinam nostræ patriæ, que est de jure rerum. Alterum argumentum Vultejj tale est. Si obligatio ad jus rerum pertineret, ut dominium pertinet, tum ex obligatione quoque, uti ex dominio, competeret actio in rem, ut actio ex obligatione in personam est: ergo ipsa obligatio ad jus personarum, non rerum referenda. *Verum in rebus*, & error perspicuus magis de inchoat. Non enim ideo actio ex obligatione referenda esse ad jus personarum. Quem

aut personam, aut jus aliquod, quod in personam aut personam sit, persequimur: (quippe semper persequimur rem aliquam externam, eam, quae ex obligatione praestanda est,) sed quia haec actio in personam obligati dicitur, id quod ad hoc genus obligationis pertinet, licet quere possit. Nam quod in l. 10. de obl. et act. 6. l. fideiussor. 16. §. 4. de fideiuss. dicitur, naturalem obligationes non eo solo estimari, si aliqua ex his competat, verum etiam si soluta pecunia repertum non possit; id non totum ad puras naturales pertinet, sed posterius dumtaxat: pars autem praecedens ad mixtas, eas scilicet, quae nascuntur ex contractibus juris gentium, & quae ipsae nonnunquam absolute naturales dicuntur, l. debitor. 39. vers. videmus. ad sen. Trib. l. si ita singularis. 126. §. 2. vers. superest, de verb. oblig. nimirum quia tota essentia sua sunt ex jure gentium, l. 4. de iust. et jur. ad jure autem civili praetor nudam comminationem nihil habent; quo tamen respectu cum etiam civiles sint, nomine civilium frequentius appellantur, propter auctoritatem juris civilis. Ut naturalis tantum, non etiam civilis simul sit obligatio, facit aut qualitas conventionis, aut personae paciscentis contrahentive, aut qualitas personae & negotii simul. Principio non omnis conventio obligationem civilem parit, sed illa dumtaxat, quae vel in proprium nomen contractus transit, vel cui praeter conventionem alia subest obligandi causa, vel quae legitima dicitur, aut quae contractui incontinentem adjecta, l. c. l. 7. in pr. §. 2. & 4. de pact. Ex ceteris, quae solo placiti sine sunt, nascitur dumtaxat obligatio naturalis: quippe nudis pactis vim talem obligandi Romano leges tribuere noluerint, ut exiis etiam ultra agere liceret, d. l. 7. §. 4. de pact. l. 10. C. eod. l. si rudi. 27. C. de locat. Plura dicemus infra sub §. ultim. Secundo facit qualitas personae contrahentis, ut ex conventionem quantumvis idonea, tantum naturalis obligatio oritur, veluti si pupillus, intelligens quod agit, contraxerit sine tutoris auctoritate, l. si pupillus. 127. de verb. oblig. l. 1. in fin. de novat. l. cum illud. 25. §. 1. quamd. dies leg. aut servus, l. 14. de oblig. et action. l. 13. de cond. inr. aut is, cui bonis interdum est, l. 6. de verb. obl. Personae & negotii qualitas simul, veluti si mulier intercesserit, filiusfamilii. mutuum pecuniam accepit, l. 16. §. 1. ad senat. vell. l. 9. in fin. cum l. leg. de senat. Maced. Praeter haec etiam citra ullam conventionem sola officii & pudoris ratio naturalis obligationem inducit: qualis est causa beneficii accepti. Unde obligatio ad auldug. l. sed et si 25. §. conclusus. 1. de herod. per. per h. si pignore. 54. §. 1. de furr. & quae hujus speciem est, manumissio, unde operarum officium debitum naturalis, l. si non fortem. 26. §. libertus. 12. de cond. ind. Ad hanc classem refero etiam eam, quae oritur ex voluntate testa-

toris testamento minus solemniter declarata: item eam, quae haeres legatus oneratus tenetur ea integra praestare citra detractionem Falcidiae, l. 2. C. de fidei. l. 5. §. si quis. 15. de don. int. vir. & ux. l. 1. l. ult. C. ad legem Falcid. Naturalium harum obligationum quaedam in totum juris civilis auxilio destituuntur, quaedam non omnino hujus auxilii sunt expertes. Prioris generis est obligatio beneficii accepti, in qua nulla necessitas praeter illud honestatis naturalis vinculum, quo ad gratitudinem & remunerationem obstringitur is, qui beneficium accepit, si vir bonus haberi velit, ad exigendum autem vel retinendum obligatio nulla. Puto etiam, ipsum jus gentium pudori cuiusque totum hoc reliquisse. Quippe alia est, ut ait Cicero pro Plancio. cap. 28. debitor gratia, alia pecunia: neque convenit; beneficia honorari aut in calendario scribere. Quo etiam pertinent illa Seneca 3. de benef. cap. 7. Cum res honesta sit referre gratiam, desinit honesta esse, si necessaria est, id est, honestatis gradum excellentem amittit: quod sequentia indicant. Non enim magis laudabitur quisquam gratum hominem, quidam cum, qui depositum reddidit, aut quod debebat citra iudicium solvit. Et mox; Non est gloriosa res gratum esse, nisi suum est ingratum fuisse. Operarum tamen, quae ex causa manumissionis patrono naturaliter debentur, obligatio hanc jure civili effectum habet, ut solvatur pro errore reperti non possit, d. l. 26. §. libertus. 2. de cond. ind. Eiusdem fere conditionis est & obligatio testamenti minus solemniter ad integra legata praestanda: nam etiam quod ex his causis pro errore facti solutum est, jure civili reperti potest, l. 7. C. de cond. ind. l. 9. C. ad leg. Falc. Similiter si is, cui bonis interdum est, quod promiserit, adeo jure civili non tenet obligatio, ut ne fideiussore quidem admittat, quasi negotium aliud gestum sit, l. 6. de verb. obl. Tantumdem dici potest de transactione alimentorum Senatufulto prohibita, l. elegant. 32. §. 2. de cond. ind. item de intercessione mulierum, nisi quod obligatio hinc nata actionem parit, sed quam inefficacem reddit perpetua Senatufulto exceptio, l. qui exceptionem. 40. d. l. 9. C. eod. Filius autem familias, qui mutuum pecuniam accepit, si pater factus solviter, non repetit, d. l. 40. l. 9. in fin. de sen. Mac. Ceterae obligationes naturales, quae ex conventionem descendunt, eisdem pene effectus, si unam dempseris actionem, jure nostro habent, quae habet naturalis & civilis simul. Ac de huiusmodi obligationibus potissimum agunt Jurisconsulti, cum ajunt aut negant, naturaliter quem obligari, ut videre est l. 13. l. si panna. 19. l. frater. 38. l. quod pupillus. 41. l. si quod. 64. de cond. ind. l. 10. de obl. et act. l. 1. de novat. l. prope. de obl. et act. l. 5. §. 2. de solut. & similibus locis. Effectus isti principales hi sunt, debiti hujus naturalis cum alio quovis compensatio, l. 6. de compens. ejul-

dem soluti pro errore retentio, d. l. 10. de obl. et act. d. l. 19. de cond. ind. l. 1. §. id quod. 17. ad leg. Falc. l. 2. C. de usufr. Praeterea quod ita naturaliter debetur, confititur potest, l. 1. §. pen. de pec. conff. item novari, l. 1. in fin. de novat. Potest & fideiussor huius obligationi accedere, §. 1. inf. de fideiuss. denique & pignus, l. 5. de pign. Minus tamen efficacitatis est in obligatione pupilli sine tutoris auctoritate contracta: quippe quae accessiones dumtaxat recipit; principalia autem illa in pupillo nocentia respuit, quo adpectu: quod pupilli ita promittit, ne natura quidem deberi dicitur, d. l. 4. de cond. ind. d. l. prope. de obl. et act. Obligatio 9 mere civilis est vinculum solius juris civilis, seu res deest, quod quis ita tenetur, ut summo jure in eum sit actio, sed quae jure praetorio infirmetur, opposita perpetua exceptione. Hujus generis sunt omnes illae, quae sola juris subtilitate nuntur contra naturalem aequitatem; veluti si quis metu coactus, aut dolo inductus, aut errore lapsus aliquis promiserit; aut si post constitutum obligationem debitor cum creditore pactus sit, ne à se petere, §. 1. & seq. inf. de except. Hoc genus obligationis propemodum sine re est, & exitu inutile, l. 3. §. 1. de consi. pec. l. nihil. interpell. 122. de reg. jur. l. 14. de compens. Mixta obligatio seu naturalis & civilis simul, est vinculum aequitatis pariter & juris civilis, quo quis ita adstringitur, ut actio efficax in eum detur. Mixtam hanc obligationem vocamus, propterea quod eam & naturalis sustinet aequitas, & simul juris civilis firmat auctoritas. Unde actionemque & exactionem producit. Ex quo porro etiam hoc est, quod sola proprie & absolute obligatio in usu juris vocatur; quemadmodum & debitoris proprie intelligitur, à quo invito pecunia exigi potest, l. debitor. 108. de verb. sign. & ex adverso creditor, qui exceptione perpetua removeri non potest, l. 10. eod. tit. alii per abusionem, l. 16. §. 4. de fideiuss. Denique hinc intelligimus ad hoc genus obligationis tantum & definitiones & divisiones hoc titulo propositas pertinere. Est verò, quod apprimè notandum est, mixta haec obligatio aut verè talis, aut praesumptivè, qualis est obligatio iudiciali, & confessi; item juris jurandi necessarii. Quippe res iudicata pro veritate accipitur, l. post. 56. de res. jud. confessi in jure pro iudicari habentur, d. l. 56. l. 1. de confess. l. un. C. eod. jurisjurandi quoque aut potius sententiae ex eorum eadem fere vis est. Hujus generis etiam obligatio est, quae dicitur litterarum, inf. d. lit. obl. Jam ad explicationem textus accedamus.

TEXTUS.

Continuatio, & definitio.

Nunc transsumat ad obligationes. Obligatio est juris vinculum, quo necessitate adstringimur alicujus rei solvenda secundum nostram civitatis jura.

NOTÆ.

[Obligations] Theoph. & Accurs. putant, hic initium fieri doctrinæ de actionibus. Sed perperam. Nam non minus obligatio res est incorporalis, & ad secundum juris obiectum pertinet, quam hæreditas, usufructus, servitutes, sup. de reb. corp. & incorp. §. ult. de us. & hab. VINN. Rectè: Sed non solum tamen Theophilum, verum & veteres fere omnes obligationes tanquam præcipuum actionum fundamentum considerasse, vel inde pater, quod in Pandectis æquæ ac Codice conjunctim & uno eodemque titulo agitur de obligationibus & actionibus. Et inde, licet perperam; exitimavit Theophilus hic quoque tractatum de obligatione præmitte materiam de actionibus, quia obligationes sunt fontes actionum, & eatenus ad tertium juris obiectum commodè referri queant. HEIN.

[Juris vinculum] Omnis obligatio est juris vinculum: obligatio civilis, vinculum juris civilis; naturalis, vinculum æquitatis, l. 95. §. 4. de stat. civilis mera, rigoris, seu æquidivinitatis inf. de exc. in pr.

[Necessitate] Propter actionem, quam obligatio parit. Itaque nec obligatio naturalis huc pertinet, ex qua jure civili agi non potest, quamvis moraliter necessitatem adjunctam habeat; veluti que ex nudo pacto nascitur l. 7. §. 4. de pact. junct. l. 84. §. 1. de reg. jur. nec juris nuda, que propæmodum sine re est, & exitu inutilis, l. 3. §. 1. de consp. pe. l. 112. de reg. jur.

COMMENTARIUS.

[Est juris vinculum] Rectè vinculum: quoniam qui nobis obligatus est necessitate quadam præstationis tenetur, ut effugere non possit, nisi vinculo hoc soluto. Metaphora sumpta à vinculis corporis. Concepta est definitio, relatione facta ad personam debitoris, ita tamen, ut simul ostendat, quodnam hic sit jus creditoris sequentia formam obligationis, subjecto, effectu, & causa efficiente remota, adhibent.

[Necessitate adstringimur] Effectus. Obligatio (sic absolutè, nunc porro mixta vocabitur) semper adjunctam habet necessitatem præstationis: que necessitas in eo consistit, ut nisi obli-

gatus præter id, quod debetur, jure judicioque experiri cum eo hoc nomine liceat, invitumque ad solutionem compellere.

[Alicujus rei] Subjectum. Rei autem verbum generale. Et factum quoque comprehendit, l. 1. in fin. ar. reh. cred. Proinde sive in dando consistat obligatio, sive in faciendo, necessitas obligationis postulat, ut utrumque præstetur, l. 2. de verb. obl. §. ult. inf. cod. l. 3. de obl. & act.

[Solvenda] Solvi dicitur res in usu juris, cum debita præstatur, l. solutam. 49. de sine. l. si rem. §. 3. & seq. de sign. act. eaque solutione tollitur obligatio, inf. quib. mod. toll. obl. in pr. tamen persona obligati tantum adstringi videtur, non res ipsa, nisi per consequentiam, aut nisi pignori nexa sit. Etenim obligationis non hæc vis est, ut aut corpus aliquid, aut servitutum nostram faciat, aut per eam dominium aliudve jus in rem immediate consequamur: sed jus tantum ad rem tribuit, id est, personam nobis obstringit ad dandum vel faciendum, l. 3. de obligat. & act.

[Secundum nostram civitatis jura] Hæc verba referenda sunt ad totum illud, quod præcedit, quo necessitate adstringimur alicujus rei solvenda. Temperatur enim hæc adjectione, non ut male Theophilus, potestas solvendi, sed necessitas: ut intelligamus adstringi nos non quibilibet modis, non ex quavis causa, sed secundum jus civitatis nostræ: item necessitate non quavis, sed in qua inquit ea cogendi ratio, que jure civitatis nostra sit approbata. Quod si cum Theophilo verba hæc ad id solum, quod proximè præcedit rei solvenda, referimus, fallam effusim sententiam, nimirum, eum, qui non rectè solvit, non esse obligatum. In eodem errore fuit & Accursius.

TEXTUS.

Divisio prior.

1. Omnium autem obligationum summa divisio in duo genera deducitur: namque aut civiles sunt, aut prætorias. Civiles sunt, quæ aut legibus constitutæ, aut certo jure civili comprobatæ sunt. Prætorias sunt, quas prætor ex sua jurisdictione constituit, quæ etiam honoraria vocantur.

NOTÆ.

1. Omnium obligationum] Scilicet, ad actionem producendam efficaciam: de quibus solis etiam concepta definitio.

[Aut jure civili comprobata] Prioris generis est obligatio litterarum & verborum pacti legitimi, furti nec manifesti, damni injuria dati, &c. hujus sunt omnes, quæ nascuntur ex contractibus juris gentium, l. 7. de pact.

[Aut jure prætorio] Ex quibus scilicet actionem in personam dedit, §. 8. & seq. inf. de act.

COM.

COMMENTARIUS.

[Aut jure civili comprobata] Distributio obligationum à causis efficientibus remotis. Nulla enim est obligatio, quæ non aut jure civili aut prætorio constituta, vel recepta sit. Illud hic monendi sumus, cum civiles obligationes opponitur naturalibus, appellatione civitatum prætorias quoque contineri, sicut in universum cum jus civile opponitur naturali ejus appellatione etiam prætorium venit. Nam jus prætorium pars est juris civilis generaliter sumpti §. 3. sup. de jur. nat. gen. & civil. At cum obligationes civiles prætorias opponitur, per civiles intelligi eas dumtaxat, que legibus aliave parte juris civilis, quæ parem legibus auctoritatem habet, constituta aut confirmata sunt: quemadmodum cum in genere jus civile opponitur prætorio, id jus significatur, quod ex legibus, plebiscitis, senatusconsultis, decretis Principum, auctoritate prudentum descendit, l. 7. de just. & jur. Similis huic est divisio actionum §. 3. inf. de act.

[Constitutæ aut comprobata] Sic igitur civilium obligationum hæc quedam subdivisio, quod earum quedam jure civili constituta sunt, quedam simpliciter approbate seu receptæ. Prioris generis sunt pæcæ, ex contractu obligatio litterarum & verborum, inf. tit. 21. & tit. 16. ex delicto, quæ tenetur fur nec manifestus, arg. §. 4. inf. de noxal. act. junct. pr. inf. de perper. & temp. act. item is, qui damnus injuria dedit cursum quadrupes pauperiem fecit, qui arbores furtim cecidit, inf. tit. de leg. Aquil. & si quadrup. paup. fac. l. 1. arb. furt. cas. Referunt huc vulgo & eas, quæ descendunt ex pactis speciali lege confirmatis, quæ dicuntur legitima, l. 6. de pact. quæ verbi causa est pactum donationis & pollicitatio dotis, l. si quis. 35. §. ult. C. de donat. l. 6. C. de dot. prom. Illa quoque obligatio constitutio civilis est, quæ tenetur is, cui ex Senatusconsulto Trebellianum restituta est hæreditas. In posteriore genere sunt innumerabiles, omnes nimirum illæ, quæ nascuntur ex contractibus juris gentium, l. 7. de pact.

[Quas prætor ex sua jurisdictione] Naturalem æquitatem secutus. Nam omnis obligatio prætorias naturalis quoque est: à prætore autem introducta dicitur ea, ex qua prætor in personam in foro civili actionem dedit. Cujusmodi est illa, quæ pater & dominus tenentur ex contractu filii aut servi: quia constitutus pecuniam ei, cui constituitur; quæ is qui detulit jurjurandum juranti: item que ex furto manifesto, rapina, injuriis nascitur; cæteraque omnes, quibus qui obstrictus est, honoraria actione tenetur; vid. inf. §. 8. & aliquos seq. de act. & tit. quod cum eo, qui in al. por. item §. 4. de nox. act. & §. ult. de leg. Aquil. VINN. Rectè Vinnius obligationem prætoriam omnem naturalem simul esse ait. Quamvis enim prætor aliquando & civiles obligationes firmet, veluti dum l. 1. ff. Vinnius in iustit.

commod. ex commodato actionem pollicetur: proprie tamen tunc obligatio non est prætorias quia vinculum juris jam citra prætoris auxilium habet. HEIN.

TEXTUS.

Divisio posterior.

2. Sequens divisio in quatuor species dividitur. Aut enim ex contractu sunt, aut quasi ex contractu, aut ex maleficio, aut quasi ex maleficio. Prius est, ut de iis, quæ ex contractu sunt, dispiciamus. Harum æquæ quatuor sunt species. Aut etenim re contrahuntur, aut verbis, aut litteris, aut consensu: de quibus singulis dispiciamus.

NOTÆ.

2. Aut enim ex contractu, &c.] Hæc divisio sumpta est à causis efficientibus proximis seu factis obligatoris sine quibus nulla aut jure civili aut honorario confirmatur, l. 37. de obl. & act. Accuratio est, quam illa aut Gaji l. 1. aut Modestini l. 52. hoc tit.

[Ex contractu] Contractus est conventio obligationem pariens citra specialis legis administrum. Hæc definitio excluduntur cum conventiones liberatorie, tum pacta nuda & legitima; quorum illa obligationem non pariunt, hæc pariunt ob specialem confirmationem, l. 6. l. 7. §. 4. de pact. Labonis definitio l. 19. de verb. sign. particularis est, tam enim contractus sunt negotia ex uno latere obligatoria, ut mutuum & stipulatio, quam utrinque, ut venditio & locatio. Et quid notius illa τὸν ἀλλοτρίου διανοίη διανοίη τῶν πραγμάτων & διὰ τὴν ὄψιν.

COMMENTARIUS.

- Unde sumpta sequens hæc divisio?
- Rectè Aristoteles delictum speciem facit τὸν ἀλλοτρίου ὄψιν.
- Prætor quatuor ordinarias obligationum causas, quæ hic recensentur, esse & alias quasdam irregulares & extraordinarias.
- Modestini obligacionem divisio minus accurata in l. 52. de obl. & act.
- Quid sit conventio sive pactio aut pactum in genere, & quatuorplex?
- Quid pactum nudum, quod passim absolutè dicitur? Et cur ex eo jure civili non detur actio?
- Pacta legitima & in continenti contractibus adjecta. Item num. 10.
- An pacta ex continenti adjecta à parte actoris insint etiam in contractibus stricti juris?
- De conventionem non nuda, quæ uno nomine contractus. Eius definitio, divisio, cum explicacione l. 19. de verb. sign.
- Notè etiam ex pactio actionem dari juxta scitia juri Canonici.
- Explicatur subdivisio obligationum primæ speciei.

Uti enim ex contractu, &c.] *Επιδικάζει* seu
 1. secundam obligationum divisionem in causas efficien-
 cientibus proxima. Nulla enim est obligatio,
 que non ex causa aliqua; & regulariter que non
 ex facto aliquo obligati precedente nascatur; nec
 ulla jure civili, aut honorario confirmatur, quae
 non propriis viribus consistat, ut loquitur Papi-
 nianus, id est, que non ex propria causa consti-
 2. tuta sit. l. obligatio. 27. hoc tit. de obl. & act.
 Causae factae obligatoria quatuor hic ponuntur
 a Iuliano, totidemque obligationis species
 his causis inter se distinctae, contractus, quasi
 3. contractus, maleficium, quasi maleficium. Aristo-
 teles 5. ethic. 2. uno verbo *συνθήκην* hanc
 omnia comprehendit. Duo enim ille genera
 4. *συνθήκην* facit, *ισότητα* & *ἀνάκτιστο*, voluntaria
 & involuntaria: *ισότητα* appellat commercia,
 conventiones, contractus; *ἀνάκτιστο*, maleficia & delicta.
 Verum enim verò si vox Græca *συνθήκη* non
 respondet verbo Latino commercii aut contractus,
 valde adhibere delictum dicitur (specie
συνθήκη est: impleque Aristoteles cap. 5. ejusdem
 libri negat correctionem delictorum ad justitiam
συνθήκην pertinere. Ut ut est, in jure
 nostro *συνθήκην* tantum ad commercia referuntur,
 l. 7. §. 2. de pact. l. Labro. 15. de verb. sign.
 commercium autem uno modo usurpatur pro
 conventionem & contractu; & itaque hæc ad delictis
 perpetuo separantur. Unico tantum loco delictum
 appellatur contractus, non quidem involuntarius,
 sed malus, l. si verum. 5. 2. de rejud. ubi
 Triphonus scribit, actionem verum amotarium
 ex malo contractu, aut, ut est in codice Florentino,
 ex malo contractu eriri. Papinianus quoque
 verba Demosthenis in oratione contra Aristogitonem,
μαθήσκων τὸν ἴκοντο, οὐ μόνον ὑποτάσσει
πόνησιν, Latine reddidit, delictorum, que sponte vel
 ignorantia contrahuntur, coercito, l. 1. junct. l. 2.
 de legib. Illud verò frequens apud nostros est, ut
 appellationem contractus & maleficii etiam quasi
 contractus & quasi maleficia significentur, l. 16.
 de neg. gest. l. contractus. 23. de reg. jur. l. 1. l. 4.
 l. ex contractibus. 49. hoc tit. §. 1. §. 10. §. rei. 17.
 §. seq. inf. de aũ. §. 1. inf. de perp. & temp. action.
 Porro sciendum est, quatuor causas obligationis,
 que hic à Iuliano recensentur, esse quidem illas
 principales & ordinarias: ceterum esse præ-
 terea quaedam obligationes, que ex nulla qua-
 tuor istarum causarum proficiuntur, sed ex sola
 & singulari æquitate. Cujusmodi species obligationis
 est, que à Cello proponitur in l. si & mo-
 5. Titium. 32. de reb. cred. item ex qua ad exhiben-
 dum agitur, l. §. 3. ad exhib. quam nullum
 omnino factum obligatorium præcedere constat.
 Item illa, qua in duplum obstringitur, qui tignum
 alienum redibus suis bona fide juxit. §. cum in
 suo. 29. sup. de rer. div. denique omnes ille, ex
 quibus actiones in factum subsidiariae dantur,
 §. ult. inf. de leg. Aquil. l. in rem. 25. §. item
 qua sumptus. §. de rei vind. Sed nec omnis obliga-
 tio, que ex conventionem est, eadem est ex con-
 tractu, vel utique datur ex pacto legitimo, vel

ex constituto: quod mox perfectius intelligitur.
 Atque hæc ego causam esse arbitror, quod Ga-
 jus l. 1. pr. hoc tit. causas & fontes obligationum
 indicaturus, contractus & maleficium tantum
 nominat, cautionis gratia subsistentes, eas, quæ
 hæc facta nascuntur, proprio quodam jure nasci
 ex variis causarum figuris. Sic ergo habendum,
 duo illa, contractum & maleficium, esse causas
 obligationum generales & ordinarias ac princi-
 pales; esse tamen & alias nonnullas, quæ sine
 6. extraordinaria & irregulares, ut nec certo
 nomine significantur, nec certa regula comprehendí
 possint. Videatur autem Gajus in d. l. 1. nomine
 7. contractus & maleficii etiam quasi contractus
 & quasi maleficium intelligere; quæ tamen cum
 singula propriè & distinctè considerare volumus,
 à contractu & maleficio diversa esse, idem rectè
 docet, l. 5. eod. & ex eo Justinianus inf. tit. de obl.
 qua quasi ex con. & de obl. qua quasi ex del. Ubi
 pro quadruplici illa consideratione causarum
 quadripartita quoque est obligationis divisio.
 Exat alia obligationis ex causis distributio apud
 Modestini. l. obligantur. 52. hoc tit. fed minus ac-
 curate. Confundit enim ex loco Modestinus causas
 remotiores cum propinquis: Nondum causas
 juris & facti causas, propter quas obligatio con-
 stituitur, cum jure, quæ obligacionem constituunt,
 aut confirmat. Plura etiam vita litium divisionis
 alii observantur. Ego singula ad amicum exami-
 nare nolim; nam pinguis aliquando disputant
 Jurisconsulti. VINN. Si paullo accuratius partim
 velis, ita omnes obligationes ad suas species re-
 vocari posse crediderim. Obligatio est vinculum
 ex lege est, & quidem vel æquitas ex sola lege, vel
 8. iustis intercedente facto aliquo obligatorio.
 Prioris generis sunt omnes obligationes quas
 Gajus ex variis causarum figuris nasci ait, qual
 que Vinusius nosster num. 3. recenset, & extrar-
 dinarias vel irregulares vocat. Pactum porro obliga-
 torium est vel legitimum, veluti contractus &
 forma obligatio ex consensu nascitur. Quæ de
 re uberius differimus in tractatu de pactis, quem
 nuper edidimus, c. 5. & c. 6. ubi etiam nova opi-
 nionum circa hoc argumentum monstrà profliga-
 mus. Excipiuntur autem hoc genere pacta duo, quæ
 9. obligationem & actionem pariunt: primum illa,
 quæ manente simplici forma conventionis speci-
 atiam ad efficiam obligationis sunt confirmata
 vel jure civili, quæ pacta dicuntur legitima, l. 6.
 de pact. quale est a. c. pactum donationis, l. si
 quis. 25. C. de donat. item quod de consuetu-
 dit. l. 6. C. de dot. prom. vel jure pretorio, ut
 constitutum, & conventio de pignore, l. 1. & pas-
 sem. de pec. const. l. si tibi. 17. §. 2. de pact. l. 1.
 de fig. ad. Deinde & pacta bonæ fidei contractibus
 in continentibus adjecta, quæ his contractibus tan-
 quam pars eorum inesse creduntur, l. 7. §. 5. de
 pact. l. 13. C. eod. Unde etiam ex hujusmodi pacto
 actio evadit contractus, cujus in continentibus inter-
 positum est competet, l. fundi. 79. de con. emp.
 l. 6. §. 1. de act. emp. l. 11. C. de publ. Cæterum

dis placiti & conventionis finibus stat, nec certum
 nomen habens, nec ullam obligandi cau-
 sam præter conventionem. l. 7. §. 1. 2. & 4. de
 pact. l. 27. C. de locat. In libris nostris etiam
 pactum simpliciter & passim appellatur, d. l. 7.
 §. 4. & seq. l. 10. C. eod. l. 15. de præscr. verb.
 d. l. 27. C. de locat. l. 1. C. de pact. conv. l. 4. C.
 de conr. stipul. l. §. 2. de solut. Appellatur
 pactum nudum, quia solum pactum est, nihil am-
 pli, l. 23. C. de fig. nimirum eadem transla-
 tione, quæ nudam vocem, nudam voluntatem,
 nudum consensum, nudam proprietatem, &c. dici-
 mus Græcis *ἴδιον συμβόλιον*. Quod desinunt,
ὡς τὰ μὴ συμβήσασθαι διότι, ἂν οὐκ ἔστω ἀπὸ θεοῦ.
 Hæc conventio eam vim obligandi jure civili
 Romanorum non habet, ut ex ea actio detur;
 d. l. 7. §. 4. & seq. l. divisiōnis. 45. de pact. l. 8.
 l. 15. de præscr. verb. l. 10. l. 21. l. si coris. 28. C.
 de pact. l. si re apud 28. C. de transact. l. §. C.
 de rei. permitt. cum similibus. Immo proverbii
 vice olim jactatum fuisse, *ex pacto actionem non*
nasci, indicant Imp. in d. l. 10. C. de pact. & d.
 l. 1. C. de pact. conv. sams. sup. dor. & *ideo omni-
 bus pactis stipulatio subjici debet, ut ex stipulatu*
actio nasci possit, ut ait Paul. 2. sent. 22. §. ult.
 Ceterum quæ pacta liberationis causa interpo-
 sita sunt, jure pretorio exceptionem pariunt,
 d. l. 7. §. 4. & seq. l. 13. d. l. 28. C. eod. & c.
 Nimirum conditores juris Romani hujusmodi
 conventionibus vim coactricem subtraxerunt, ut
 sola pacificentium fide stare,et honestius atque
 ad excitandum virtutis studium conducibilis
 esse estimantur, quædam relinquere hominum
 inter se spontaneæ fidei & probitati, quam omnia
 vinculis legum & necessitate adstringere. Quo
 pertinet locus Cornificii lib. 2. ad Herenn. *Pacta*
sunt, que sine legibus observantur ex conventionem,
quæ etiam jure præstari solentur. Cui similis est
 apud Ciceronem lib. 1. *de invent.* Et explodendi
 ut dicitur nob. qui negant, potestatem civilem
 constituisse posse, ut non nisi vel certo modo &
 forma obligatio ex consensu nascatur. Quæ de
 re uberius differimus in tractatu de pactis, quem
 nuper edidimus, c. 5. & c. 6. ubi etiam nova opi-
 nionum circa hoc argumentum monstrà profliga-
 mus. Excipiuntur autem hoc genere pacta duo, quæ
 obligationem & actionem pariunt: primum illa,
 quæ manente simplici forma conventionis speci-
 atiam ad efficiam obligationis sunt confirmata
 vel jure civili, quæ pacta dicuntur legitima, l. 6.
 de pact. quale est a. c. pactum donationis, l. si
 quis. 25. C. de donat. item quod de consuetu-
 dit. l. 6. C. de dot. prom. vel jure pretorio, ut
 constitutum, & conventio de pignore, l. 1. & pas-
 sem. de pec. const. l. si tibi. 17. §. 2. de pact. l. 1.
 de fig. ad. Deinde & pacta bonæ fidei contractibus
 in continentibus adjecta, quæ his contractibus tan-
 quam pars eorum inesse creduntur, l. 7. §. 5. de
 pact. l. 13. C. eod. Unde etiam ex hujusmodi pacto
 actio evadit contractus, cujus in continentibus inter-
 positum est competet, l. fundi. 79. de conr. emp.
 l. 6. §. 1. de act. emp. l. 11. C. de publ. Cæterum

hæc res non una indiget cautione & distinctione.
 Primum enim non quævis pacta huc pertinent,
 sed ea duntaxat, quæ sunt *ἴδιον συμβόλιον*,
 1. secundum naturam naturam contractus, aut quæ
 alioquin saltem ratione præstationis contractus, cui
 adijciuntur, tangunt, aut contractum promovent,
 DD. l. 5. *quintimus*, c. seq. de pact. & ali. comm.
 DD. l. 1. *pacta*, 72. c. seq. emp. Unde Iabon ait,
 pactum, quod est contra naturam contractus non
 vestiri coherentem contractus. Deinde nec omnium
 contractuum hoc commune est, ut pacta quan-
 tumvis ex continentibus adjecta, contractibus infint,
 & actionem pariatur: sed propterea contractuum
 bonæ fidei & neque tamen omnium ex quo, sed
 maxime eorum, qui solo consensu in idem, ut
 pacta, constant, ut emptio, locatio, &c. quorum
 etiam contractuum exempla fere in hac disputa-
 tione profertur, ut videre est plerique locis
 modo citatis. Qui tamen contractus, dum sint
 bonæ fidei, solo consensu non constant, sed
 fed periculiunt, ut commodatum, depositum, &
 2. pacta, quorum substantia in solo consensu, tam
 facile inesse & incorporari, ut sic loquar, non
 possunt: nec alia exempla pactorum, quæ hu-
 jusmodi contractibus infint, occurrunt, quam
 quæ de dolo, culpa, aut casibus fortuitis præstati-
 3. onem interponuntur, l. 5. *interdum*, 10. comm. DD.
 l. 1. §. 35. *depos.* l. 23. *de reg. jur.* præter
 exemplum de præstatione usufructum in deposito
 irregulari, l. Lucius. 24. c. 2. *de reg. jur.* Quod
 4. atque ad contractus stricti juris, Bachev. ad
 Treutl. *dis. de pact. res. 10. part.*, distinguen-
 dum inter contractus, qui ne fiunt, ut mutuum;
 & qui verbis ut stipulatio. Pacta mutuo adjecta
 ad obligandum & agendum non prodest, pro-
 pterea quod re obligatio contrahi non potest ultra
 id, quod datum est, l. si tibi 17. in pr. de pact. l. 11.
 §. 1. *de reb. cred.* ad hæc nullas in mutuo esse
 præstationes doli aut culpæ, & si qua de his
 pactis fiat, eam esse extra naturam contractus:
 denique hoc eandem causam, & quia præterea
 stricti Judicii est, nec ultra ex mutuo contra stipu-
 5. lationem exigi posse, l. 3. C. de usufr. Quod autem
 quibusdam casibus usufructu pecunie creditæ,
 aut frumenti vel hordei mutuo dati accessio ex
 nudo pacto debetur & peti potest, l. etiam 30. de
 usufr. l. 5. & l. 7. *de naufr. fœn.* l. 12. C. de usufr.
 id non eo fieri, quod in continentibus hæc pacta
 adjecta sicut, & proinde mutuo infint, sed quia
 6. speciatim & nominatim jure civili confirmata
 sunt, esse enim pacta legitima. Stipulationes
 vero diversimodum eandem esse: licet enim & ipsa
 contractus sit stricti juris, & ideo non facile ex-
 tensionem recipiat, tamen quia verbis perficitur,
 magisquam in eo cum pactis assiniatim habet,
 d. l. 7. §. quod iure, 12. *de pact.* licet illi, sed
 7. de pact. l. 13. C. eod. Unde etiam pacta stipulationi flatim
 subiecto placuit, id perinde habendum, ac si ver-
 bis stipulationis expressum esset. Quæ licet pro-

babilitur à Bachovio disputatur, verior tamen mihi videtur sententia Cujacii, Bussi, in d. l. 7. Donelli in d. l. lecta. 40. & in l. 13. C. de pact. qui etiam stipulationem hinc remouent. Neque enim frustra est, quod ubi pro regula traditur, pacta in continenti facta ex parte aëoris inesse, nominatim additur in *bona fidei iudiciis*, d. l. 7. §. *quintimo*. s. d. l. 13. de pact. Quorundam enim hac adfectio in *bona fidei iudiciis*, nisi ut intelligamus, in strictis iudiciis non idem iuris esse? Sic cum dicitur, in bonæ fidei contractibus usuras ex mora deberi, l. *mora*. 22. §. 2. de usur hoc significatur, deberi in bonæ fidei, non in stricti iuris iudiciis, l. 3. C. de usur. Similiter cum dicitur, exceptiones inesse bonæ fidei iudiciis, l. 2. de *resc. vend.* hoc dicit intelligimus, in his solum inesse, non etiam in strictis iudiciis; nam in strictis non veniunt exceptiones, nisi nominatim contestatæ, l. 9. l. ult. C. de *except.* Et certè ineptum esset ac supervacuum, de bonæ fidei iudiciis nominatim addere, si pacta in continenti facta pariter inessent omnibus contractibus, quibus subiunguntur. Nec ullum in libris nostris locum reperio, quo probari possit, pactum stipulationi appropinquatum actionem parere aut legem stipulationi dare, actionemve ex stipula formate, ita stipulationi inessent ad id, quod pactum comprehendit, esse, ex stipula agi possit, pactum augere, informare, extendere verborum obligationem. Paulus autem in d. l. lecta. 40. cum pactum subiectionis stipulationi inesse dicit, non significat, id actionem parere, cum in casu illic proposito non id pactum agatur, ut quid datur, quod prius dari non debuit; sed ut de eo, quod datum oportuit, aliquid remittatur; quale pactum ex parte creditoris valere ad agendum natura sua non potest. Alii nec mutuum hinc remouendum putant, quorum sententiam latè tueretur Gœdd. de *cont. stipul.* c. 8. *concl. 2.* Nos sultus hac exequimur in eo, quem modo dicebamus, tractatu de pactis, c. 9. §. *seqq.* VINN. Sed rem tamen clarissimam puto, si leges conferas. Hæc distinguunt utram in continenti adjectam pactum contractui stricti iuris, an ex intervallo, nempe, addante obligationi, an detrahat. Si in continenti adjectum obligationi detrahit, inest contractui ex parte rei, ut plus ab eo peti nequeat, e. g. si decem dedi, & novem debeas, non nisi novem debebis l. 11. §. 1. ff. de *reb. cred.* Sin in continenti adjectum addit obligationi, tunc non inest ex parte actoris, nec actionem parit; e. g. si decem dem, ut viginti debeatur, tunc non nisi decem debentur, l. 17. ff. de *pact.* Pacta ex intervallo adjecta five addant, five detrahant obligationi, non inest contractui stricti iuris, nec ipso jure tollant obligationem quamvis exceptionem producant. Conf. V. C. Ger. Noad. de *pact. & transact.* cap. 12. HERN. Conventio non nuda five vestita est, que puri placitæ fines egreditur, quod ex duabus notis cognoscitur, si proprium nomen sortita est, vel si præter conventionem alia obligandi causa fuerit, id est, si negotium civile gestum sit, d. l. 7. §. 2.

de pact. Hac conventionis species uno verbo appellatur contractus. Et igitur contractum sic definitio: Contractus est conventio habens nomen speciale, aut eo deficiente civilem obligandi causam. Definitio tantum non iudicem verbi propria d. l. 7. §. 1. & 2. Itaque duo sunt harum conventionum genera: unum earum, que speciale nomen habent, ex quo genere sunt emptio, venditio, locatio, conductio, societas, mandatum, depositum, commodatum, pignus, & similes contractus, qui quod certum nomen habent, dicuntur contractus *nominati*; & obligationem actionemque certo jure producant, non utique propter nomen; quod extrinsecum quod est atque accidens, sed propter utilitatem commercii, cuius indicium est, quod certo ac proprio nomine appellatur; vel potius quia hæc conventiones ob frequentiore usum talem accipere vim ac naturam, que etiam si nihil specialiter dictum sit, ex ipso nomine satis intelligatur, 2. Grot. 2. de *jur. bell. & pac.* 12. n. 3. Alterum genus est earum conventionum, que nomine quidem proprio careant, sed quibus præter consensum subest causa, ut hoc exprimit Jurisconsultus d. l. 7. §. 2. Et hæc quoque conventiones obligationem & actionem parant. Causam definitio dationem vel factum certa lege, puta si quid tibi dedi, aut feci ea lege, ut vicillum mihi aliquod dares aut faceres, uti & Jurisconsultus d. l. 7. §. 2. ipse hoc explicat, & innumeris locis significatur, l. 5. *per tot.* l. 8. l. 19. de *prescr. verb.* l. 7. l. si pro *profundo*. 33. C. de *transact.* l. 6. C. de *ver. form. & simit.* alias negotium dicitur, d. l. 15. de *prescr. verb.* & negotium civile, l. 21. de *ajim. nã.* id est, tale quod consistit *causam*, pro: unde obligatio & actio civilis, ne quis hic somniet de causa impellente aut finali, que paciscentes movit; nam talis causa etiam in nudis pactis est: ut dabo tibi Stichum, tu mihi Pamphilum: dabo tibi equum, tu mihi infulam factas: dabo tibi partem bonorum ut à lite discedas, l. 21. C. de *pact.* l. 28. C. de *transact.* Videamus autem ne definitio contractus à nobis proposita nimis lata sit. Nam Labeo in l. 19. de *verb. sign.* contractum sic definit, ut dicat esse ultro citroque obligationem, id est, negotium, unde ultro citroque obligatio nascitur: at nostra definitio etiam ea negotia complectitur, ex quibus unus tantum obligatur, qualia sunt mutuum & stipulatio, que Labeo d. loc. expressè à contractu distinguit. Sed animadvertendum est, Labeonem eo loco non definire generaliter, quid sit contractus, aut que sit propria hujus verbi significatio, sed quid præter eo verbo significet, cum hæc tria finitime significationis in edicto conjungit, actum, contractum, gestum. Nam cum hæc singula per se posita & vi tua generalia sint, apparet, Labeonem ea non ex propria significatione, sed ex sententia prætoris illa conjungentis distinguendo ad certas species referre, verbumque contractus ad eas species reducere contractum, que mutuum obligationem pariunt. Nos verò hoc certo tenebimus, subtili-

tiam contractus in eo non consistere, ut ultro citroque obliget, sed non minus proprie si unus tantum alteri, quam si invicem contrahentes inter se ex conventionibus obligentur, contractum dici obligationem, & negotium ipsum appellari & esse contractum: id quod satis offendit verus & recepta contractuum divisio, hoc text. & in l. 1. *cod.* proposita, item in l. 1. §. *pen. de pact.* Apparet itaque ex disputatione Ulpiani, in d. l. 7. §. 1. 2. de *pact.* unde nostra contractus definitio sumpta esse, neque pacta legitima, neque ea, que contractibus adjectivum, contractus esse, aut cum contractibus confundenda, sed esse & manere pacta nuda: quamvis enim communem vim obligandi cum contractibus habeant: tamen neque in proprium nomen transeunt, nec causam, cur dare aut facere debeas, ullam habent præter conventionem; utique si per se spectentur illa sine admittulo legis, hæc sejuncta à contractu, in quo sunt. Cæterum DD. hæc etiam pacta vestiverunt, alterum vestimento *assistentia legis*, alterum *coherenti contractus*: quippe qui nuda ea pacta sola appellant, que efficaciam obligandi non habent, & in terminis jure gentium manserunt. Quod est ratione non caret, tamen veteres omnem conventionem extra contractum non alio nomine, quam nudum pactum simpliciter appellare solent, etiam que obligandi efficacitatem habent, l. 6. l. 7. §. 1. de *pact.* l. 10. l. 13. C. *cod.* l. *etiam*. 30. de *usur.* l. 12. C. *cod.* l. 6. C. de *jur. dot.* Ulu jam pridem receptum esse constat, ut etiam ex nudo & simplici pacto actio detur, ita ut pacti nunc eadem vis sit, que stipulationis. Tantum meminimus distinguendas esse promissiones serias, meditatas & utiles, & inconsideratas, temerarias atque inutiliter, cum quis non dispositivè, ut loquuntur, nec ferit, sed vel narrativè, vel per jocum & aliud gens aliquid pronuntiat, ut ex illis tantum, non ex his obligatio & actio nascatur. Et hoc etiam jure Canonico satis expressè cautum est, l. 1. & c. 1. de *pact.* & videmus, pluraque etiam alia ad simplicitatem juris gentium hodie redacta Conanus vir eruditione nimis vulgari prædictus existimat, ne jure quidem gentium ex nuda conventionem obligationem oriri, lib. 5. *comen.* c. 1. sed ei occurrit à D. Grot. lib. 2. de *jur. belli & pac.* c. 11.

Aut re contrahitur aut verbis, etc. ¶ *Modus* primæ speciei, id est, cum obligationum, que sunt ex contractu sumpta à causis obligationem ex contractu proximè consequentibus: nam contractus quidam re perficitur, quidam verbis, quidam literis: id est, obligationem tum demum producant, cum vel res, vel certa verba, vel scriptura intervenierit, quidam consensu sunt, id est, præter consensum quomodocumque declaratum ad sui perfectionem nihil desiderant. Itaque proposita divisio non sic accipienda est, quali in ea obligationes, que consensu dicuntur contrahi, opponantur obligationibus, que non contrahuntur consensu: nullis enim contractibus, nullave obligatio ex contractu sine consensu esse potest, l. 1. §. *pen. de pact.* sed ita, ut obligationibus, que non solo consensu sunt; sed præter consensum rem, verba aut literas requirunt, oppositam intelligamus eam speciem, quam solo consensu contrahitur nihil amplius ad constitutionem obligationis desiderant. Denominatæ enim sunt hæc species ab eo, quod cuiusque proprium est, & in unaquaque eminet.

Aut literis ¶ Hanc speciem obligationis videntur veteres comprehensisse sub ea, que re contrahitur; quoniam ex litterarum obligatione qui agit, pecuniam petit ut mutuum. Certe plurimum, que ex contractu sunt, illi non meminerunt, quam harum trium, re, verbis, consensu, l. 1. §. 1. l. 4. hoc *tit.* l. 1. §. 3. de *pact.* l. 8. §. 1. de *idejuss.* l. 1. §. 1. de *novat.* Et tamen hanc obligationem jam tum in usu fuisse constat ex *tit. C. de non num. pec.* VINN. Immo multo certius hoc genus contractus jam sæculo Christi 2. in usu fuisse, constat ex Gaji *inst. lib.* 11. *tit.* 9. §. 12. Alia hujus contractus vestigia in ipsis Digestisprehendit Galvan. de *usur.* qui & observat, veteres illos qui species contractuum nominatorum recentiores litterarum obligationem omiserunt, eandem sui verborum obligationibus comprehensisse. Et sanè multo verosimilius est hæc Galvani, quam Vinnii nostri sententia, quia & in hac olim verba Iolemia intercessisse, ex Theophilo *ad tit. Inst. de lit. ob.* patet. HEIN.

TITULUS DECIMUS QUINTUS. QUBUS MODIS RE CONTRAHITUR OBLIGATIO.

Dig. Lib. 12. Tit. 2. Lib. 13. Tit. 6. & 7. Lib. 16. Tit. 3. C. Lib. 4. Tit. 1. 23. 24. 34.

Continuatio. Quando obligatio dicatur re contrahi & qua obligationes huc pertineant?

Hoc titulo exponitur prima species obligationum, que non ex solo consensu nascuntur, sed demum cum aliquis ad conventionem accessit, illa nimirum, que nascuntur ex contractibus, qui præter consensum, rei interventum ad perfectionem sui requirunt; que obligationes ob id re contrahi dicuntur. Quid sit re obligationem contrahi, nulla certa definitione, fed exemplis ostenditur. Rectius fecissent Compositores, si